

7. ut liberati de manu inimicorum nostrorum, non in spiritu timoris, sed amoris serviamus illi

8. in sanctitate, et vera, ac interiori iustitia omnibus diebus vitae nostrae.

9. Tu autem puer, fili mi, tu, inquam, eris propheta Altissimi; siquidem praecedes ante faciem Domini Redemptoris ad praeparandam illi viam,

10. et ad impertiendam plebi eius scientiam salutis, ad hoc ut illis remittantur peccata;

11. Non tamen ex tua virtute, sed per Dei gratiam et ineffabilem misericordiam, qua idem Salvator, qui est sol oriens, ab alto descendens nos visitavit,

12. ut fulgeret iis qui in densissimis tenebris calamitatum et peccatorum iacent, et ut nobis ostenderet tutam viam, quae ad veram pacem salutemque perducit.

## APPENDIX II.

### DE SACRAE SCRIPTURAE LECTIONE IN LINGUIS VULGARIBUS

Cum ageremus de S. Scripturae versionibus eas divisimus in antiquas et recentiores, seu liturgicas et vulgares, prout nempe vel linguis nunc mortuis exaratae sunt, quae plerumque in vetustis liturgiis supersunt, vel linguis adhuc vivis ac vernaculis. De his postremis pauca tantum animadvertimus eo quod in criticis ac theologicis quaestionibus nullius ponderis sint, sive quia recentius vulgatae, sive quia a privatis hominibus et ad privatum fidelium usum editae fuerunt. Nunc tamen de his quaedam pertractanda sunt ad Protestantium errores circa Scripturae lectionem refellendos, et Ecclesiae praxim ab eorum accusationibus vindicandam (1).

### ARTICULUS I.

#### BREVIS HISTORIA CONTROVERSIAE

Primi Ecclesiae temporibus, ut alias vidimus, in omnes paene linguas Scriptura translata fuit, et fideles populi sua quique lingua sacros libros et in Ecclesia legi audiebant, et ipsi in suis domibus asservabant et assiduo legebant, nec Ecclesia ullum impedimentum

(1) De hoc argumento copiose docteque tractarunt P. Oherbinus a S. Ioseph: *Bibliotheca Criticae Sacrae*, seu *Apparatus Biblicus* to. I, Dissert. Proöm. et to. IV, Lovanii 1804; I. B. Malou: *La Lecture de la sainte Bible en langue vulgaire*, Lovanii 1846 2 Vol. in 8°; item Fontana in: *Constitutio Unigenitus theologiae propugnata* Romae 1721, to. III. Brevius autem P. Perrone in *Tract. de Locis theologicis* Part. II, Sect. I, Cap. IV, Propos. II, et Cap. V, Prop. I, et II, item Th. I. Lamy *Introductio in S. Scripturam* to. I, c. IV, ed. 2<sup>a</sup> Lovanii 1872.



huic praxi unquam posuit, licet manifestum sit ex Patrum doctrina nunquam lectionem Scripturae tamquam necessariam singulis fidelibus ad salutem existimatum fuisse (vide Iren. adv. haereses lib. III Cap. IV, n. 2).

Sub finem Saeculi XII prima vestigia controversiae de hac re occurrunt in dioecesi Metensi. Episcopus Metensis ad Innocentium III scribens anno 1199 denunciavit quosdam fideles suae dioeceseos, qui immodico desiderio Scripturarum permoti novam gallicam versionem Evangeliorum, Epistolarum Pauli, Psalterii, Moralium S. Gregorii M. sibi comparaverant, eandemque tum viri laici tum mulieres in clandestinis conventibus perlegebant et invicem exponebant, non solum sine ulla subordinatione Episcopo ac parochis suis, sed etiam iis in faciem resistentes cum de huiusmodi conventibus inquirere, et aliquid decernere voluissent. Habentur haec exposita in epistolis Innocentii III ad episcopum Metensem (tom. I epist. 144 e 142 ed. Baluzii) quem sollicite hortatur et iubet ut fidelium illorum temeritatem coerceat, et de omnibus, post plenius indagatam veritatem, Sedem Apostolicam informet. Nescimus quinam fuerit huius causae exitus: difficile tamen non est ibi agnoscere prima semina errorum quos paulo post Valdenses et Albigenses longe lateque disseminarunt, quorum peculiaris character fuit exaggeratum studium legendi Scripturam cum neglecto, ac contemptu Ecclesiae magisterii, ac iurisdictionis. Aiebant scilicet Valdenses omnibus laicis, imo etiam foeminis ius praedicandi competere, idque ab Apostolo inculcari 1 Cor. XIV, 12-14; nihil credendum esse quod per expressum Scripturae testimonium non probetur; Missam celebrandam et sacramenta administranda in lingua vulgari; hinc eorum asseclae magnam Scripturae partem memoriae mandabant et vernacula lingua recitabant. (Vid. Reinerus Lib. *contra Valdenses* cap. V).

Eadem plus minus docuerunt Albigenses. Contra istos agens Concilium Tolosanum anno 1229 prohibuit laicis usum Scripturae in lingua vulgari, excepto psalterio, breviario pro divinis officiis, et horis B. M. Virginis. (Apud Labbeum tom. XI Concil. pag. 430). Causa prohibitionis fuit Albigensium temeritas qui novam gallicam versionem Scripturae inter fideles Tolosanae provinciae disseminantes pravis interpretationibus eorum fidem corrumpabant, et ab Ecclesiae obedientia subtrahebant.

Circa finem saeculi XIV doctrinam Albigensium adoptavit et studiose per Angliam propagavit Wiclefus, qui suam anglicam Scripturae versionem seu potius paraphrasim omnibus commendavit, et legendam praeiit tamquam ex Christi praecepto, qui vult omnes Evangelium discere. Haec versio erroribus infecta damnata fuit in synodo Oxoniensi anno 1408 cap. VII, simulque vetitum est ne quis in posterum absque licentia Scripturam in vernaculam linguam transferret, aut translata legeret « *quousque per loci dioecesanum, seu, si res exegerit, per concilium provinciale ista translatio fuerit approbata* » (apud Labbe tom. XI pag. 2095). Evidens est prohibitionem istam, quemadmodum praecedentem Concilii Tolosani, absolutam non esse, sed relativam ad circumstantias et abusus illorum temporum ac locorum. In Hispania similiter defensores lectionis Scripturae in lingua vulgari turbas excitaverunt, quarum occasione Iacobus I Aragoniae rex apposito decreto prohibuit suis subditis versionem vulgarem habere, quod postea confirmarunt alii Hispaniae reges, et Romanus Pontifex Paulus II approbavit, ita ut haec inter leges regni relata fuerit sub Ferdinando et Isabella (an. 1474-1516).

Pseudo-reformatores saec. XVI ut in ceteris fere omnibus ita in hoc Albigenses et Valdenses sectati sunt, et inter praecipua media quae adoptarunt ad fidem Ecclesiae impugnandam, et animos fidelium corrumpendos fuerunt novae vulgares versiones Scripturae erroribus suis accommodatae. Paulo post principium illud proclamarunt: Scripturae lectionem omnibus et singulis fidelibus necessariam esse ad salutem, et Ecclesiam ius nullum habere lectionem hanc vel prohibendi, vel moderandi (1). Cum autem longe maior fidelium pars Scripturas in textibus originariis aut in antiquis versionibus legere non possint, sequebatur necessitas vulgarium versionum, et Ecclesiam eas impedire non posse. His principis stabilitis, reformatores eorumque successores novis cudentis versionibus alacriter manum admoverunt, Luthero exemplum prae-

(1) Haec quidem sponte sua descendunt ex fundamentalis dogmatis Protestantium Scripturam unice esse fidei regulam, sine ulla ad infallibilem Ecclesiae magisterium relatione, ac subiectione. Cum enim nunquam suam fidem ex Scripturis haurire debeat, hoc ipso necesse est ut eas prae manibus habeat ac frequenter legat.



bente per suam germanicam versionem ex textibus originariis, uti ait, confectam, in qua sensum Scripturae ad suos errores saepe detorquet; Calvinistae deinceps suam gallicam versionem, quae *Genevensis* dicitur, concinnarunt, et ita porro aliae atque aliae versiones in variis Europae linguis apparuerunt, et per varias gentes disseminatae sunt, viamque protestantismo aperuerunt. Huiusmodi innovationes tantam idearum confusionem pepererunt, tot illusionibus ac fanatici furoris excessibus occasionem dederunt, tantum Ecclesiae contemptum, superbiam, ac religiosam discordiam ingenerarunt, ut ipse Lutherus his malis perterrefactus fuerit, et Melancthon amare conquestus fuerit omnia susdeque versum iri in castris Protestantium. Interim Ecclesia remedium malo apponere non omisit: peruersas et infideles haeticorum translationes proscripsit, necessitatem Ecclesiasticae normae ac directionis in Scripturarum studio altius proclamavit, ac demum in Concilio Tridentino decretum quoddam paravit de hac re, quod tamen non fuit in Concilio promulgatum, sed paulo post a Pio IV editam sub nomine *Regularum Indicis*, quarum tertia generatim damnat omnes versiones a viris haeticis confectas nisi expurgatae fuerint, quarta autem etiam versiones catholicas in lingua vulgari legere non permittit nisi obtenta facultate ab Episcopo vel inquisitore, aut saltem parocho vel confessario. Contra hasce regulas nunquam cessarunt reclamare Protestantes, eas ita interpretantes ac si absolutam et generalem lectionis Scripturae prohibitionem continerent.

Saeculo XVIII Protestantium clamores renovavit Iansenistarum coriphaeus Quesnellus, inter cuius propositiones in Bulla *Unigenitus* anno 1713 a Clemente XI damnatas sunt etiam sequentes: Prop. 79: « *Utile et necessarium est omni tempore, omni loco et omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria Sacrae Scripturae.* » Prop. 83: « *Dies Dominicus debet a Christianis sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia Sacrarum Scripturarum... Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.* » Prop. 84: « *Abriperere Christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.* » Prop. 85: « *Interdicere Christianis lectionem S. Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filii lucis, et facere ut patiantur speciem*

*quamdam excommunicationis.* » Has et similes Iansenistarum naenias egregie refutarunt constitutionis *Unigenitus* defensores Card. De Bissy Metensis Episcopus, et P. Fontana (1). Paulo post Synodus Pistoriensis eadem repetere et fidelibus insinuare tentavit, sed statim a Pio VI per Bullam *Auctorem fidei* damnata est, ubi ad propositionem 67 legitur: « *Doctrina perhibens a lectione SS. Scripturarum non nisi veram impotentiam excusare, subiungens ultra se prodere obscuracionem quae ex huiusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis, falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnello damnata.* » Demum haec controversia iterum magno ardore agitari coepit saeculo nostro inter Protestantes et Catholicos occasione foundationis *Societatum biblicarum*, quarum prima et omnium mater in Anglia fundata est anno 1804, deinceps vero aliae ab illa dependentes per Angliam, Germaniam, Galliam, Helvetiam, Status foederatos Americae aliasque regiones magno numero pullularunt. Harum unicus scopus est Scripturas in omnium gentium linguas conversas omnibus indiscriminatim tum Catholicis, tum Protestantibus, tum infidelibus, vel gratis vel vili pretio distribuere nullo duce, nullaque certa norma legendas, quasi hoc uno medio salutem acquirere possint. Harum societatum conatus multi inter ipsos Protestantes sese opposuerunt, quamvis plerique earum patrocinium susceperint. Romani autem Pontifices Pius VII, Leo XII, Pius VIII, Gregorius XVI et Pius IX praedictas societates biblicas omnino damnarunt, non quidem ea de causa quod Sacrae Scripturae propagationem et studium pertimescerent, ut adversarii dicitant, sed quia praepostera methodo societates illae tum versiones ipsas conficerent, saepe infideles et erroribus plenas, tum ab omnibus legi vellent, semotis illis mediis et cautelis, quae Scripturae lectionem vere utilem ac tutam reddunt.

Controversia quae inter Protestantes et Catholicos viget circa vernaculam Scripturae lectionem aliquatenus differt a controversia cum Iansenistis. Hi enim concedebant Scripturae lectionem, quam

(1) Card. De Bissy: *Introduction Pastorale, ou Traité théologique sur les 101 Propositions du P. Quesnel* 2 Vol. in-4, Paris 1722, P. Fontana: *Constitutio Unigenitus theologice propugnata*. Ad Propp. 79, et seqq. Tom. III, pag. 584 seqq.



omnibus necessariam credebant, Ecclesiae magisterio ac vigilantiae subiectam esse, quod Protestantes omnino negant.

Ex hac brevi historia apparet plures quaestiones in hac controversia distingui posse, quarum aliae *theoreticae ac dogmaticae* sunt, scilicet: utrum lectio Scripturae omnibus fidelibus ad salutem necessaria sit, et utrum Ecclesia leges de hac re ferendi ius habeat: aliae vero sunt *practicae et historico-disciplinares*, scilicet utrum, et qua ratione Ecclesia prohibuerit vel coarctaverit lectionem Scripturae in linguis vulgaribus, et utrum societates biblicae merito a Sancta Sede damnatae fuerint. De his igitur distincte tractandum erit, et in fine brevem notitiam trademus praecipuarum versionum vulgarium sive catholicarum, praesertim quae a S. Sede aliqua ratione confirmatae vel probatae fuerunt, sive haereticarum, et damnatarum.

## ARTICULUS II.

### DOCTRINA ECCLESIAE DE LECTIONE SCRIPTURAE IN LINGUA VULGARI

Quamvis Protestantes tot modis conati fuerint veram Ecclesiae catholicae mentem circa hanc quaestionem obscurare, et perperam repraesentare, nihilominus tamen ex ipsius Ecclesiae decretis, ex testimoniis Doctorum et publica praxi quid in hac re doceat certissime, et clarissime constat. Imprimis itaque distinguendi sunt Episcopi, animarum pastores, et generatim clerici a fidelibus laicis. Pro illis studium Scripturarum non solum tamquam utile, sed etiam ut necessarium Ecclesia semper habuit (1); laicis vero nunquam

(1) Praeter verba Apostoli ad Timotheum 1 Tim. III, 13 extant plura Patrum testimonia et Conciliorum decreta, quae hoc officium Episcopis, Patribus, concionatoribus, sacerdotibus gravissimis verbis iniungunt. Ita ex. gr. Concilium Nicaenum II, a. 787 can. 2.; Concilium Tridentinum IV, a. 640 cap. 24; Concilium Meldense a. 845 sub Sergio II<sup>o</sup> can. 34. Item S. Ambrosius Lib. V, de Fid. ad Grat. c. 7, qui ideo Scripturam appellat *librum sacerdotalem*; Hieronymus in Epist. ad Nepotianum; Caesarius Arelat. in Hom. 33; Eusebius Gallicanus in Litan. Maior. (Biblioth. PP. to. V, pag. 688); S. Gregorius M. Lib. 2, Pastor. c. 2, et Ven. Beda in Illud Exodi XX, 13, *facies quoque vestes etc.* Haec et alia plura testimonia legi possunt in unam collecta a laudato P. Cherbino a S. Joseph Bibliotheca Crit. Sacrae to. I, Dissert. Proëm. Quaest. II, art. III.

uti *necessariam* Scripturae lectionem commendavit, quia scilicet aliis mediis eorum saluti prospicere potest. Ad utilitatem vero quod attinet, iuxta mentem Ecclesiae distinguenda est utilitas *absoluta*, ac veluti obiectiva, ab utilitate hypothetica et *relativa*, scilicet quamvis Scriptura per se utilissima sit, spectatis tamen individuorum dispositionibus, conditione et adiunctis, potest iis non esse utilis, imo etiam periculosa ac perniciosa. Haec omnia breviter ostendet sequens

### THESIS I (XXII).

*Omnibus indiscriminatim fidelibus Sacrae Scripturae lectio minime necessaria est ad salutem: eadem vero, licet per se et absolute utilis sit, consideratis tamen individuorum peculiaribus adiunctis ac dispositionibus non semper utilis, saepe etiam periculosa, aut perniciosa esse potest.*

Quamvis in Thesi expressum non fuerit hic agi de lectione vernacula Scripturae, id tamen implicite in verbis Theseos continetur; lectio enim quae promiscue ab omnibus fidelibus fieri possit alia esse nequit quam lectio in linguis vernaculis seu vulgaribus, quas unice maior fidelium pars intelligit. Cum autem Thesis duplicem habeat partem utramque seorsim tractabimus.

Probatur *pars prima* contra Protestantes.

Si lectio Scripturae omnibus indiscriminatim fidelibus ad salutem necessaria esset, haec necessitas oriretur vel ex ipsa rei natura, vel ex aliquo positivo Dei praecepto. Atqui neutrum affirmari potest. Ergo lectio Scripturae omnibus indiscriminatim fidelibus necessaria ad salutem dicenda non est.

Maior propositio evidens est: ex duplici enim illo fonte fieri potest ut aliquid ad salutem necessarium sit: neque hic sermo esse potest de Ecclesiastico praecepto, hoc enim praeterquamquod per se immutabile non esset, nulla unquam de huiusmodi praecepto suspicio extitit, imo vero adversarii Ecclesiae tribuunt contrarium praeceptum, idest prohibitionem absolutam lectionis Scripturae. Itaque minor propositio ita probatur per partes.

1<sup>o</sup> Necessitas lectionis Scripturae non oritur ex *rei natura*. Potest autem hic intelligi rei natura vel *absolute*, quasi nempe per se et praescindendo ab omni hypothesis impossibile esset hominibus salutem



adipisci absque lectione Scripturae, vel *hypotheticae*, quasi nempe, posita ordinatione et oeconomia revelationis, lectio Scripturarum evasisset medium, vel conditio sine qua non posset salus obtineri. Utrumque vero falsum est. Sane absurdum est dicere per se, et absolute lectionem de qua loquimur ad salutem necessariam esse. Imprimis enim nulla apparet necessaria connexio inter praedictum medium et consequentem ultimi finis, cum Dei gratia et illustratio externum illud medium supplere possit, et suppleat. Praeterea si hoc verum esset semper et ubique necessitas illa exitisset: quomodo igitur salvati potuissent homines antequam existeret Scriptura, scilicet ante Moysen qui primos Scripturae Libros exaravit? et tamen scimus iustos, et sanctos homines, Deoque charissimos tunc fuisse. Etiam postquam coepit Scriptura exarari scimus pios et sanctos viros exitisse extra populum Hebraicum, qui sine Scripturis sanctitatem et salutem sunt consequuti. Quinimo etiam post promulgatum Evangelium et completum canonem Scripturarum quot sunt qui physica vel morali impotentia a lectione Scripturarum prohibentur, ut ex. gr. coeci, ebetes, infantes, aut qui invincibili et inculpabili ignorantia laborant, quos omnes ad salutem pervenire non posse ob istius lectionis defectum absurdum esset dicere, nec adversarii dicere audent. Nulla igitur esse potest naturalis necessitas absoluta. Sed neque hypothetica. Haec enim oriretur ex eo quod sufficiens, et ad salutem necessaria cognitio verae religionis, et Christianae pietatis norma haberi non posset sine Scripturae lectione. Verum undenam poterunt adversarii hoc probare? Quinimo huiusmodi assertio directe repugnat Christianae religionis oeconomiae a Christo stabilitae. Christus enim, ut alibi demonstratum est, praecipuum medium ad fideles docendos et dirigendos constituit non Scripturam, sed Ecclesiae vivum magisterium. Ipse nihil scripsit, Apostolis suis non praecepit scribere, sed *praedicare Evangelium omni creaturae*, quod illi reipsa fecerunt post adventum Spiritus Sancti cum « profecti sunt et *praedicaverunt ubique*, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis » (Marc. XVI, 20): si deinceps nonnulli Spiritu Sancto inspirante aliquid scripserant, nunquam eis propositum fuit hisce scriptis omnia comprehendere quae praedicanda erant, aut Ecclesiasticae praedicationi, traditioni, et magisterio medium aliud *substituere*, quod illius necessitatem

aut efficaciam tolleret aut immineret: ita ut etiam post scripta Evangelia aliosque libros N. T. Paulus simpliciter et absolute affirmare potuerit *fidem ex auditu* esse. Manet igitur omnibus fidelibus facile, expeditum et efficax medium ad scientiam salutis sibi comparandam etiam sine lectione Scripturarum. Nulla igitur evincitur necessitas sive absoluta, sive hypothetica ex ipsa rei natura.

2<sup>o</sup> Necessitas lectionis Scripturae non oritur ex positivo Dei praecepto. Si hoc praeceptum existeret promulgari a Deo debuisset, ideoque vel in Scripturis legeretur, vel saltem in Ecclesiae traditione contineretur. Proferant igitur adversarii testimonia unde praeceptum illud probetur. Verum nunquam id Protestantes probare potuerunt quamvis saepe a catholicis provocati, et ad incitas redacti. Aferunt quidem nonnulla testimonia ex Scripturis utriusque Testamenti, quae tamen vel ad rem non pertinent, vel saltem praeceptum non continent sed meram exhortationem. Ita ex Veteri Testamento plura congrunt ubi Verbum Dei dicitur *lucerna et lumen semitis nostris*, ubi iustus dicitur *meditari in lege Domini die ac nocte*, ac demum ubi lectio Pentateuchi statis temporibus facienda Hebraeis praecipitur. Sed priora illa testimonia Psalmorum imprimis non necessario de Scripturis intelligenda sunt, et etiamsi ita acciperentur nihil aliud evincerent nisi lectionis utilitatem: praeceptum vero illud legendi libros Moysi pro Hebraeis in veteri Lege sancitum est, et nullo iure potest ad Christianos sub nova Lege viventes extendi. Ex N. T. autem urgent imprimis illud Christi Domini Io. V, 39: *Scrutamini Scripturas*. Verum multa sunt quae ostendunt frustra hoc testimonium pro adversariorum sententia adduci. Et re sane vera ipsa vox *scrutamini*, quemadmodum graeca *εραυνᾶτε*, ambigua est, cum grammaticae possit esse indicativum aequè ac imperativum, idest, significare possit vel *investigatis*, vel *investigate*. Sed etiamsi acciperetur in forma imperativa non ideo probatum esset praeceptum, est enim potius invitatio ad legendum, et quidem ad scopum certo demonstrandi Christi divinitatem. Ibi enim agebat Christus cum Iudaeis, qui eius divinam missionem recipere detrectabant, quos primum convincit testimonio Iohannis Baptistae, deinde addit argumentum ex miraculis a se patris, ac postremo affert Scripturas Iudaeos invitans illis verbis: « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vi-



tam aeternam habere, et illae sunt qui testimonium perhibent de me. » Ubi, quaeso, reperitur hic praeceptum absolutum, universale, non Iudaeis tantum sed et Christianis omnibus impositum Scripturas legendi? Nec opus est immorari in aliis testimoniis quae adducere solent ex gr. Act. XVII, 11, Rom. XV, 2, 4; Tim. III, 15, Iac. I, 21, in quibus evidens est nullum contineri praeceptum, sed dumtaxat exhortationes ad Scripturas legendas, aut earum elogium, vel exemplum illorum qui studio Scripturarum operam dabant. Ex Scripturis igitur praeceptum hoc probari non potest (1). Neque ex traditione Ecclesiae idem praeceptum ostendi potest. Tantum enim abest quominus Romani Pontifices, Concilia, SS. Patres affirmant omnibus indiscriminatim fidelibus officium incumbere Scripturas legendi, ut potius contrarium passim tradiderint. Sufficiat pauca testimonia ex multis citare. S. Irenaeus adv. haeres. lib. III, cap. 4, n. 2 scribit: « Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt (Apostoli) iis quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes. » Tertullianus de Praescript. c. XIV explicans Christi verba ad paralyticum ita paucis concludit: « Fides tua te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum. Fides in regula (Symbolo) posita est. » Eodem sensu Clemens Alexandrinus in Paedag. Lib. XI, cap. 41: « Fides, inquit, absque literis discitur. » S. Cyrillus Hierosol. Catech. V n. 12 scribit: « Cum non omnes possint Scripturas legere, sed alios quidem imperitia, alios vero occupatio quaedam a cognitione impediatur, ne anima per ignoracionem intereat, paucis versiculis universum fidei dogma comprehendimus. » Cui concinit S. Ioannes Chrysost. praesertim in Homil. I in Epist. ad Romanos, ubi postquam fideles ad Scripturas legendas hortatus fuisset subdit: « Verum quia plerique ex his qui huc nobiscum convenerunt, liberos, uxorem alendam, aedesque curandas suscipere, nec sese totos huic studio dare possent, ad ea quae

(1) Plura de his videri possunt apud Malou, op. cit. Tom. I, p. 167-175.

alii collegerunt excipienda vos comparate, tantumque studium dictis audiendis adhibete, quantum colligendae pecuniae. » S. Hieronymus quamvis Scripturae studiosissimus, et eius lectionis suavorum ac promotor, nullibi tamen omnibus indiscriminatim praeceptum imponit eam legendi, quinimo in Commentario in Epistolam ad Galatas lib. II, cap. 4 docet magis prodesse fidelibus auditam praedicationem, et expositionem Scripturae, quam eius privatam lectionem: « Scriptura divina, inquit, aedificat et lecta, sed multo plus prodest si de literis vertatur in vocem... sciens itaque Apostolus maiorem vim habere sermonem, qui ad praesentes fiat, capit vocem literis comprehensam, in praesentiam commutare, et quia hoc magis expediebat his qui in errore fuerant depravati, vivo eos ad veritatem retrahere sermonem. » Ceteris omissis, clarissime in hanc rem scribit Augustinus de Doctrina Christ. Lib. I Cap. 29: « Homo fide, spe, et charitate subnixus, eaque inconcussa retinens non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt. » Plura testimonia congesserunt saepius laudati auctores Malou op. cit. tom. I, Cap. VI. Cherubinus op. cit. Tom. I Dissertatio proem. Quaest. III art. 5., et Fontana: Constitutio Unigenitus theolog. propugn. tom. III pag. 584 seqq. Decreta Conciliorum et RR. Pontificum adducere superfluum esset, adversari enim concedunt nullum in his occurrere decretum, quo lectio Scripturae omnibus praecipitur, contra vero multa in quibus eadem lectio vel prohibetur, vel adiectis conditionibus restringitur. Quomodo igitur suspicari possunt divinum hac de re praeceptum existere si Ecclesia, eiusque praecipui Doctores illud semper ignorarunt? Scimus quidem Protestantibus nonnulla SS. Patrum testimonia in medium adducere ad suam sententiam confirmandam, et quidem (ut observat laudatus Malou) absque maturo examine plerumque excerpta ex opere Leandri Van Ess cui titulus: Extraits sur la nécessité et l'utilité de la lecture de la Sainte Bible tirés des saints Pères. Bruxelles 1820; haec tamen omnia nihil aliud probant nisi Patres sollicitos fuisse de Scripturarum studio promovendo, cum debitis restrictionibus et cautelis, nunquam vero eos Scripturarum lectionem ad salutem omnibus necessariam praedicasse. Difficultatem quamdam praeseferrunt verba Chrysostomi in homil. IX in Epist. ad Colossenses ubi



ait: « Audite, obsecro, saeculares omnes, comparate vobis biblia, animae pharmaca, si nihil aliud vultis, vel novum Testamentum acquirite, Apostolorum acta, Evangelia etc. » et in Concione III de Lazaro n. 2 ait: « Non potest fieri ut quisquam salutem assequatur nisi perpetuo versetur in lectione spirituali. » Verum si intimius inspicatur mens sancti Doctoris apparebit eum longe abesse a Protestantium sententia. Non enim praecipiendo haec ait, sed hortando, nec omnino absolute sed relative ad circumstantias et dispositiones suorum auditorum, et quidem non sine oratoria quadam hyperbole ad animos fidelium a torpore et desidia excitandos. Eius enim aetate invaluerat inter fideles Ecclesiae Cypolitanae tepiditas quaedam et negligentia circa Sacram Scripturam, quam multi penitus ignorabant, et cuius lectionem monachis tantum utilem existimabant: de hac negligentia saepe conqueritur Chrysostomus non modo in citatis homiliis, sed et alibi passim ut in homil. I in Matthaeum n. 6, hom. II in eundem n. 3, homil. XI in Iohannem n. 1, homil. XXXII in eundem n. 3, hom. in illud *Salutate Priscillam* (Opp. tom. III pag. 173) etc.; ut autem remedium huic malo afferret non cessabat auditorum socordiam reprehendere, eisque privatam Scripturae lectionem commendare, excellentiam huius lectionis vehementer extollens, et exaggerans ut eorum animos commoveret. Verum nunquam eo usque progressus est ut formale praeceptum imponeret legendi Scripturam, ut ex testimonio superius recitato manifestum est, itemque ex pluribus aliis in ipsis homiliis modo laudatis, in quibus etiam contentus est ut quaedam tantum Scripturae partes faciliores legantur. Nec est omitendum lectionem Scripturarum a Chrysostomo passim intelligi latiori sensu pro expositione Scripturae quae in Ecclesia a pastoribus fit, imo etiam aliquando generatim pro publica praedicatione de fide ac religione Christi (1).

3° Adversariorum obiectiones fere omnes praeoccupatae sunt

(1) Ita ex. gr. in hom. XXIX in Genesis n. 2: « Vidistis, inquit, quomodo quaecumque calamitate humanam naturam premente, congruens ex Scripturis antidotum accipere liceat... propterea obsecro ut frequenter haec veniat; et divinae Scripturae lectionem diligenter auscultetis; » et in hom. III, in Matthaeum n. 6 aiebat: « non modicum certe ex auditu accedet lucrum... ne itaque contemnamus divinarum lectionem Scripturarum. »

in argumentorum expositione: nonnulla tamen addere solent Protestantibus et Iansenistae ex rationibus theologicis desumpta, quae parvi omnino momenti sunt.

Dicunt itaque 1° Scripturam esse, et dici a Patribus *epistolam Omnipotentis Dei ad homines missam*, et *instrumentum* in quo Dei voluntas hominibus manifestatur. Porro iniuriosum Deo esset aut eius epistolam non legere, aut eius voluntatem non ediscere.

*Responsio* per se patet. Si enim nullum aliud esset medium ad ea quae in Scripturis continentur ediscenda, nefas profecto esset eius lectionem negligere. At posita oeconomia Novae Legis, per Ecclesiam et ab Ecclesia omnes fideles facilius, certius et tutius discere possunt omnes veritates in Scripturis consignatas: dum hoc faciunt perinde est ac si Deum ipsum, Christum Dominum, et Apostolos audirent, dicente Domino Luc. X, 16: « qui vos audit me audit; » et aiente Paulo 2 Cor. V, 20: « pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per vos. » Quae non ad Apostolos tantum, sed ad omnes Ecclesiae pastores quavis aetate pertinent.

Addunt 2° Scripturas eo fine exaratas esse, ut omnes ex ea instruerentur, et consolationem acciperent, iuxta illud Apostoli Rom. XV, 4: « Quaecumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus; » ergo nemo ab earum lectione sese eximere potest.

*Respondemus* haec omnia Scripturarum dumtaxat *utilitatem* demonstrare, et quidem semper suppositis debitis cautelis, ne id quod per se utile est noxium aut periculosum evadat. *Necessitas* autem inde numquam demonstrabitur, cum fideles et *instructionem*, et *consolationem* abunde possint haurire ex Ecclesiae praedicatione, ex Sanctorum scriptis, et exemplis, ex asceticis libris, ubi ipsarum Scripturarum medulla ac spiritus reperitur, et quidem accommodate ad simpliciorum fidelium captum magis quam nuda et commentario destituta Scripturarum lectio.

Instat 3° M. A. Monod minister protestans Lugdunensis (1) Scripturae usum necessarium esse ad repellendas tentationes, idque probat exemplo Christi qui a Diabolo ter tentatus Matth. IV, 4, 7, 10 ei

(1) In Opusculo cui titulus: *Lucile, ou la Lecture de la Bible*. Paris 1842.



simpliciter opponit tres Scripturae citationes: « Vos autem, inquit, quomodo inveniatis speciales textus contra singulas speciales tentationes, si accurata illa Scripturarum notitia caretis, quae ex personali dumtaxat studio derivari potest? (op. cit. pag. 226).

*Resp.* Haec difficultas imprimis ex eo refelli posset quod nimis probet: non solum enim probaret praeceptum legendi Scripturam, sed etiam memoriter retinendi, et ita notam et perspectam habendi, ut occurrentibus singulis tentationibus specialem textum prompte et expedite diabolo opponere possemus. Sed pauci admodum huic operi pares esse possunt non solum ex vulgo fidelium, sed etiam ex doctis ac in theologica scientia peritis. Exemplum igitur Salvatoris non est ita ad literam accipiendum, sed eo tantum sensu quod veritates in Scriptura expressae, puta de poenis inferni peccatori reservatis, de Dei immensitate ac praesentia, de divinis beneficiis, et Christi passione, istae, inquam, veritates in mentem revocatae adversus tentationes efficacissimum remedium praebent; parum autem interest utrum quis ipsa Scripturae verba et speciales textus recordetur, et diabolo citare possit. Experientia et exempla sanctorum hoc confirmant: inde enim discimus pluribus modis tentationes vinci posse, etiam sine accurata et verbali notitia Scripturarum.

Urget 4<sup>o</sup> idem auctor titulos Epistolarum Pauli qui ostendunt ad omnes indiscriminatim fideles eas dirigi, ad Corinthios, ad Ephesios, ad Romanos etc., et concludit N. T. integro populo Christiano destinatum esse.

Attamen distinguant adversarii primos illos lectores Epistolarum a fidelibus sequentium aetatum. Illis quidem destinatae erant epistolae, et quidem plerumque ob specialem quandam circumstantiam, puta abusum, periculum, tribulationem in qua iidem versabantur: ceteris autem fidelibus eo tantum sensu dici potest epistolas illas destinatas fuisse, quatenus pro omnium fidelium bono scriptae sunt, et in Ecclesia conservatae, sed ad earum fructum percipiendum non est absolute necessarium ut singuli fideles per se ipsos eas legant, et intelligant, habent enim Ecclesiam quae integram Scripturam conservat, eiusque scientiam possidet, quam ipsa tamquam bona mater filiis suis dispensat ad communem omnium utilitatem.

Demum 3<sup>o</sup> insistent ministri (praesertim Monod op. cit. pag. 230 et Oster pag. 160) in praesumpta obligatione qua omnes fideles tenentur comparandi illud quod a pastoribus audiunt cum Sacra Scriptura, et iudicandi utrum doctrinae Sacrae Scripturae conforme sit, quam obligationem deducunt ex verbis 1 Io. IV, 1: « Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint; » et ex Gal. I, 8 et 9: « Licet nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit. » Imvero id fideles praestare non poterunt nisi assidue in Scripturae lectione versentur.

*Resp.* Quamvis de his textibus alias disputatum sit, operae pretium erit pauca ex dictis in mentem revocare ad difficultatis solutionem. Imprimis autem indirecte respondere possemus praeceptum seu obligationem istam admitti non posse, eo quod esset moraliter impossibile eam observare. Fideles enim iuxta adversarios non solum deberent Scripturas legere, non solum paratos habere textus ad tentationes repellendas, sed totius Scripturae scientiam ita perfecte callere, ut per se iudicare possent de veritate vel falsitate doctrinae ab hominibus quantumvis doctis et ingeniosis propositae, et parati esse ad errores refellendos ex Sacra Scriptura. Sed quisnam hoc expectabit a simplici vulgo fidelium, a rusticis, foeminis, pueris? Videant igitur adversarii quam grave et intolerabile iugum fidelium conscientiae imponant. Textus autem allati nihil tale continent, aut insinuant. Verba enim Iohannis referuntur ad specialem errorem Docetarum seu Phantasiatarum, qui negabant veritatem carnis Christi, et fideles monentur ne aures praebant speciosis eorum sermonibus, sed probent spiritus praedicantium, an ex Deo sint: criterium autem quo haec probatio fieri debet non dicitur esse Sacra Scriptura, sed potius oralis praedicatio et traditio Apostolorum, ideo addit vers. 6: « Qui novit Deum audit nos, qui non est ex Deo non audit nos: in hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris. » En criterium Catholicum quod Protestantium systema evertit. Similis responsio valet pro testimonio Apostoli Gal. I, 8 et 9.; ibi enim evidenter loquitur de sua et aliorum Apostolorum praedicatione, quae deinceps per Ecclesiae Pastores, et Apostolorum successores continuata est, et ad hanc normam revocandum esse dicit illud quod pseudo-



apostoli Ecclesiae Galatiae perturbatores annunciabant, et exinde refellendum: de Scripturis ne verbum quidem. Et haec satis sint de prima Theseos parte.

Probatur Pars secunda de utilitate lectionis Scripturae.

Utilitas lectionis ac studii Scripturarum, ut in Thesi dictum est, spectari potest sive absolute et per se, sive relative et in ordine ad circumstantias et subiectivas singulorum hominum dispositiones. Sub primo respectu utilitas simpliciter admittenda est, sub altero vero respectu potest vel adesse, vel deesse, aut etiam pro utilitate periculum et damnum ex Scripturae lectione provenire potest. Utrumque breviter ostendemus.

1<sup>o</sup> Scripturam per se et absolute utilem esse nemo Christianus unquam negavit. Tradit hoc disertissime Apostolus in 2 Tim. III, 16 seqq. scribens: « Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. » Cui concinit Petrus Scripturam laudans, eamque comparans lucernae lucenti in caliginoso loco (2 Pet. I, 19). Patres etiam imprimis Iohannes Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus et Bernardus utilitatem Scripturae summopere extollunt.

2<sup>o</sup> Attamen quod per se bonum atque utile est facile fieri potest inutile aut noxium ob defectum illorum qui eo utuntur, quemadmodum solidus cibus stomacho infirmo vel aegrotanti nocet, et debiliores oculos meridiana lux solis laedit atque obtundit. Hoc igitur etiam de Scripturae lectione fieri potest ac solet, quidquid contra Protestantem iacent. Id itaque probatur 1) ex rei natura. Sane, ut alias demonstravimus, et experientia ostendit, Scriptura valde obscura est et intellectu difficilis, sive considerentur res quae in illa continentur, sive modus quo exponuntur, sive etiam ratio loquendi, ita ut ipsi theologi et docti innumeras difficultates in ea offendant, quibus superandis longum studium et indefessus labor vix sufficit. Quanto igitur magis imperitis, et indoctis, seu promiscuae fidelium plebi Scriptura difficilis esse debet? Facile ergo fieri potest ut rudis quispiam Scripturam in manus sumens et proprio Marte eam intelligere tentans mente sua confundatur, scandalum patiat, in dubia et perplexitates incidat, atque ita damnum potius quam utilitatem inde percipiat. Accedit Scripturam de mo-

rum praeceptis, ac de vitis coercendis tractare, in quibus hallucinatio facile oriri potest ob corruptae naturae passiones, quae iudicium perturbant, et sensum alioquin obscurum in proprias partes trahere satagunt. Confirmari posset hoc argumentum sequenti exemplo. Supponamus codicem civilem alicuius gentis (qui ceteroquin semper claris verbis conceptus est, et certe Sacra Scriptura multo clarior) singulis civibus tradi legendum, commentandum et applicandum; brevi admodum tempore tot erunt sententiae quot capita, et unusquisque iuxta suum placitum, suamque utilitatem verba textus detorquebit: hoc ipsum facile evenire potest de Sacra Scriptura, quae est sacer codex Christianorum. Verum quidem est haec argumenta plenum valorem habere in hypothosi Protestantium, qui liberum unicuique relinquunt iudicium de sensu Sacrae Scripturae circa fidem et mores, absque ulla prorsus dependence a traditione et iudicio Ecclesiae. Attamen etiam in systemate lansenistarum qui cum Catholicis conveniunt in admittendo magisterio Ecclesiae, pericula superius numerata haud prorsus removentur. Plurima enim occurrunt in Sacra Scriptura de quibus Ecclesia iudicium non pronuntiavit, nec expectari potest simplices ac rudes fideles ita sensum traditionis, et analogiam fidei catholicae perspectam habere ut in locis obscuris interpretandis ab ea non discedant, et errorem cavere possint: quibus si addatur animi arrogantia in iudicio ferendo de rebus quae propriam scientiam et capacitatem superant, errores ac praeiudicia, quae facile vulgi animum occupant, passionum tumultus et alia huiusmodi, unusquisque videt multis etiam in catholica Ecclesia educatis Scripturae lectionem periculum ac damnum creare posse. Quod si supponatur lectorem esse doctrina fidei probe imbutum, pio ac docili spiritu plenum, semperque paratum suum iudicium doctoribus submittere, imprimis vero pastorem Ecclesiae sententiae, tunc ultro fatemur huic lectionem Scripturae vere utilem fore: verum non omnes indiscriminatim fideles in his conditionibus versari nemo est qui non videat. 2) Ex facto et experientia idem confirmatur. Notum est veteres haereticos ex Scripturis absque debitis cautelis perlectis et interpretatis errores suos confirmare solitos fuisse, quarum etiam testimonii simplices fideles saepe decipiebant, et in suas partes trahebant, unde illud tritum Augustini effatum: « Non enim



natae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illoqueantia animas, et in profundum praecipitantia, nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur etiam temere, et audacter asseritur. » Recentiori vero aetate habemus experientiam malorum quae passim orta sunt ex promiscua et indiscreta Scripturae lectione omnibus fidelibus permessa, et inculcata primum ab Albigenisibus et Valdensibus, tum vero a Protestantibus. Tam gravis inde confusio exorta est, tam multae et discordantes sectae, tot fanaticorum hominum excessus in Anglia praesertim, Scotia, Germania et Gallia, ut ipsi doctiores Protestantes hisce perterriti fuerint, et malo frustra remedium quaesierint. Praeter argumenta, exempla, et testimonia alibi adducta, audiatur ex. gr. doctus Anglicanus Br. Walton qui in *Praef. ad Polyglotta* ita scribit: « Aristarchus olim vix septem sapientes in Graecia invenire potuit, et apud nos, ut verbis utar viri docti, vix totidem idiotas est reperire; omnes enim sunt doctores, omnes coelitus instructi. Nullus est ex vilissima faece plebis fanaticus aut agryta qui non omnia sua pro verbo Dei venditet. Apertus enim videtur puteus abyssi, ex quo ascendit fumus qui coelum et terras obscuravit, et exierunt locustae cum aculeis, sectariorum et haereticorum numerosa soboles, qui omnes antiquas haereses renovarunt, et plurima opinionum portenta de novo intulerunt; ex quorum vero castris prodierint, omnibus notum. Hi sunt qui civitates, pagos, castra, domus impleverunt, imo Ecclesias et pulpita occuparunt, et populum misere seductum in foveam secum praecipitant. » Neque id tantum in castris Protestantium locum habuit sed etiam in Ecclesia et in regionibus catholicis similes abusus olim irrepperunt, cum opera Valdensium eorumque fautorum indiscretus zelus legendi Scripturas, seu vera bibliomania animos fidelium quibusdam in locis invasisset ut in cap. I narravimus. Idque etiam fatetur alius doctus Protestans Fr. Hurter (postea ad catholicam Ecclesiam conversus) in vita Innocentii III Lib. 14.

3<sup>o</sup> Argumenta ab adversariis adducta plus minus eadem sunt contra hanc alteram ac contra primam Theseos partem. Hic vero speciatim urgent laudata testimonia Pauli 2 Tim. III, et Petri 2 Pet. I, quibus dicunt demonstrari summam Scripturae utilitatem pro omnibus indiscriminatim fidelibus absque ulla exceptione vel restrictione.

Sed perperam omnino. Nam Paulus ibi loquitur de obiectiva Scripturae utilitate, quam ex se habet, non autem de relativa et subiectiva utilitate pro singulis fidelibus: imo de vulgo fidelium directe loqui non videtur, sed potius de Episcopis sen Pastoribus saltem principaliter. Alloquitur enim Timotheum Episcopum, eique Scripturam commendat, et varias etiam species utilitatis enumerat, quae magis Pastoribus quam populo conveniunt, ad Pastores enim proprie pertinet *docere, arguere, corrumpere et erudire* ex Scripturis. Testimonium autem Petri praeterquamquod speciatim referitur ad Iudaeos qui nondum erant perfecti in fide, et confirmandi erant in Evangelio per comparisonem ac studium Librorum V. T. potest praeterea contra adversarios retorqueri. Petrus enim statim subdit: « hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit, » quod Protestantium opinioni contradicit: et insuper in c. III, eiusdem Epistolae v. 16 loquitur de indoctis, et instabilibus, qui non intelligentes ea quae in *Epistolis Pauli*, et in *ceteris Scripturis* occurrunt *difficilia intellectu* eadem depravant ad suam ipsorum perditionem, quo ipso affirmat fuisse aliquos inter fideles, quibus lectio Scripturarum non utilis, sed exitiosa erat. Huiusmodi autem indocti, et instabiles in Ecclesia nunquam desunt.

Haec sufficiant circa veram doctrinam Ecclesiae de lectionis Scripturarum sive necessitate, sive utilitate.

*Corollarium.* « Ecclesiae Pastores ius habent Scripturarum lectionem in linguis vernaculis invigilandi, moderandi, aut etiam coercendi pro temporum ac personarum adiunctis. » Hoc corollarium ex tota Theseos demonstratione sua sponte fluit. Probatum est enim lectionem Scripturae omnibus fidelibus 1<sup>o</sup> ad salutem necessariam non esse, 2<sup>o</sup> modo utilem, modo periculosam ad noxiam animabus fidelium esse posse. Atqui ea quae de iure divino praescripta non sunt ad salutem obtinendam, et ex alia parte possunt esse vel media ad salutem, vel impedimenta, eo ipso Ecclesiae vigilantiae et potestati subiecta sunt, cui officium a Christo commissum est fideles in viam salutis dirigendi. Ergo ad Ecclesiae Pastores pertinet huiusmodi negotium practice, et secundum adiuncta moderari, legesque de eo ferre. Re autem ita declarata, mole sua ruunt ratiunculae illae, et declamationes, quibus tum Protestantes tum



Iansenistae tantopere delectantur, cum dicunt: fideles arcere a Scripturae lectione idem esse ac illis os Christi obstruere, filiis lucis lucem negare aliaque similia. Ecclesia enim, quae *os Christi* vere dici potest, fidelibus loquitur, eosque clarius et tutius docet quam si ipsi Scripturas legerent, quas recte intelligere non possunt, et literae mortuae substituit vivam vocem Pastorum, quibus dictum est « qui vos audit me audit: » similiter Ecclesia filiis lucem non negat si quando eos arcet a lectione Scripturae, sed eorum imbecillitati parcens lucem Scripturarum, quae oculorum aciem eis perstringere vel obtundere posset eorum infirmitati accommodat. Sed non vacat diutius in his nugis immorari. Ceterum haec plenius adhuc diluentur in sequenti articulo, ubi de praxi Ecclesiae, in re de qua agimus, plura dicentur.

### ARTICULUS III.

#### ECCLESIAE PRAXIS AC LEGISLATIO CIRCA SCRIPTURAE SACRAE LECTIONEM IN LINGUIS VULGARIBUS

Protestantes non modo *theoretice* errant circa lectionis Scripturae necessitatem ac utilitatem, ut modo vidimus, sed etiam *historice*, dum asserunt Ecclesiam absolute et universim vernaculas Scripturae versiones earumque usum prohibere, eique adscribunt prava et odiosa motiva huic suppositae disciplinae sancienda, quasi nempe id fecerit ad suam potestatem ultra debitos limites amplificandam, et ad fideles in errore ac superstitione detinendos. Quam falsa haec sint, et a praeiudicatis animis profecta certissimis argumentis demonstrari potest. Quae quidem breviter exponemus in sequenti propositione.

— \* —

### THESIS II (XXIII).

*Nunquam Ecclesia absolute et universim prohibuit fidelibus Sacrae Scripturae lectionem in lingua vernacula, sed pro variis temporum, locorum ac personarum adiunctis modo probavit, modo improbat aut coercuit eandem lectionem, idque unice ut ipsorum fidelium bono, ac utilitati prospiceret: in praesenti vero Ecclesiae disciplina, de iure communi, omnes omnino fideles, servatis tantum quibusdam conditionibus, Scripturam in sua lingua legere possunt.*

Haec Thesis in tres partes dividi potest, quarum prima est de praxi et legislatione Ecclesiae anteactis temporibus; secunda de motivis ac rationibus huius praxeos ac legislationis; tertia de actuali Ecclesiae disciplina. De singulis breviter.

Probatur *pars prima*.

Ecclesiam nunquam absolute et universim prohibuisse vulgarem Scripturae lectionem, sed tantum pro locorum et temporum varietate diversas leges tulisse sequentia probant.

Primis Ecclesiam saeculis nullam prohibitionem aut restrictionem in re de qua agimus extitisse apparet ex historia, et factis versionum biblicarum. Omnes enim versiones, quas nunc antiquas et liturgicas vocamus, olim vernaculae dici poterant, et erant, quousque scilicet linguae quibus exaratae sunt in ore populi permanserunt. Ita ex. gr. Syriaca versio usque ad serioretem aetatem ab omnibus Syris intelligebatur utpote eadem lingua loquentibus, ita Armenica ab Armenis, Coptica a Coptis, Abyssinica ab Aethiopibus et ita porro, et ut in specie de Vulgata latina loquamur, haec in occidentali Europa mansit vere vernacula versio usque ad X saeculum circiter, nam omnes usque ad illam aetatem latine sciebant et loquebantur. Prima vestigia prohibitionis versionum vernacularum occurrunt in fine saec. XII. Vidimus enim primo Innocentium III a Metensi Episcopo interrogatum vulgarem gallicam versionem fidelibus illius loci interdixisse, et paulo post similem prohibitionem factam fuisse in Concilio Tolosano anno 1229 Canon. XIV. Verum haec decreta illa dumtaxat loca respiciebant, non autem univer-